Textos Bíblicos
y
Autores Cristianos

ORATIONES

SIGNVM CRVCIS

In nōmine Patris, et Fīliī, et Spīritūs Sānctī. Amēn.

GLORIA

Glōria Patrī, et Fīliō et Spīrituī Sānctō.

Sīcut erat in prīncipiō, et nunc, et semper

et in sæcula sæculōrum. Amēn.

PATER NOSTER

Pater noster, quī es in cælīs,

sānctificētur nōmen tuum.

Adveniat rēgnum tuum.

Fiat voluntās tua,

sīcut in cælō et in terrā.

Pānem nostrum quotidiānum dā nōbīs hodiē,

et dīmitte nōbīs dēbita nostra

sīcut et nōs dīmittimus

dēbitōribus nostrīs.

Et nē nōs indūcās in tentatiōnem,

sed līberā nōs ā malō. Amēn.

AVE MARIA

Avē Marīa, grātiā plēna,

Dominus tēcum.

Benedicta tū in mulieribus,

et benedictus fructus ventris tuī, Jēsūs.

Sāncta Marīa, Māter Deī,

ōrā prō nōbīs peccatōribus,

nunc, et in hōrā mortis nostræ. Amēn.

VENI SANCTE SPIRITUS

Venī, Sāncte Spīritus,

replē tuōrum corda fidēlium,

et tuī amōris in eīs īgnem accende.

Emitte Spīritum tuum et creābuntur.

Et renovābis fāciem terræ.

Orēmus: Deus, quī corda fīdelium

Sānctī Spīritūs illūstrātiōne docuistī:

dā nōbīs in eōdem Spīritū rēcta sapere,

et dē ejus semper cōnsōlātiōne gaudēre.

Per Chrīstum Dominum nostrum. Amēn.

grātiā plēna = gratiæ plēna

īgnem tuī amōrīs in eīs accende

Sānctī Spīritūs illūstrātiōne

illūstrātiōne = lūmine

dē cōnsōlātiōne ejus

SYMBOLVM NICAENVM

Crēdō in ūnum Deum, Patrem omnipotentem,
factōrem cælī et terræ,
vīsibilium omnium et invīsibilium.
Et in ūnum Dominum Jēsum Chrīstum,
Fīlium Deī ūnigenitum,
et ex Patre nātum ante omnia sæcula.
Deum dē Deō, Lūmen dē Lūmine,
Deum vērum dē Deō vērō,
genitum nōn factum, cōnsubstantiālem Patrī
per quem omnia facta sunt.
Quī propter nōs hominēs
et propter nostram salūtem dēscendit dē cælīs.
Et incarnātus est dē Spīritū Sānctō
ex Marīā Virgine, et homō factus est.
Crucifīxus etiam prō nōbīs sub Pontiō Pilātō,
passus et sepultus est, et resurrēxit tertiā diē,
secundum Scrīpturās, et ascendit in cælum,
sedet ad dexteram Patris.
Et iterum ventūrus est cum glōriā,
jūdicāre vīvōs et mortuōs,
cujus rēgnī nōn erit fīnis.

Et in Spīritum Sānctum, Dominum et
55 vīvificantem, quī ex Patre Fīliōque procēdit.
Quī cum Patre et Fīliō simul adōrātur
et conglōrificātur.
Quī locūtus est per prophētās.
Et ūnam, Sānctam, Catholicam et Apostolicam
60 Ecclēsiam.
Cōnfiteor ūnum baptisma in remissiōnem
peccatōrum.
Et expectō resurrectiōnem mortuōrum,
et vītam ventūrī sæculī. Amēn.

BENEDICTIONES MENSAE

Ante mēnsam

65 Benedīc, Domine, nōs
et hæc tua dōna
quæ dē tuā largitāte sumus sūmptūrī.
Per Chrīstum Dominum nostrum. Amēn.

Post mēnsam

Agimus tibi grātiās, omnipotēns Deus,
70 prō ūniversīs beneficiīs tuīs,
quī vīvis et rēgnās in sæcula sæculōrum. Amēn.

ūnivērsus a um = tōtus

SALVE REGINA

Salvē, Rēgīna, Māter misericordiæ,
Vīta, dulcēdō et spēs nostra, salvē.

Ad tē clāmāmus,
exulēs fīliī Hevæ.
Ad tē suspīrāmus,
gementēs et flēntēs
in hāc lacrimārum valle.

Eja ergō, advocāta nostra,
illōs tuōs misericordēs oculōs
ad nōs converte. Et Jēsum,
benedictum frūctum ventris tuī,
nōbīs, post hoc exilium, ostendē.

Ō clēmēns, ō pīa, ō dulcis, Virgō Marīa.

exul is = ē patriā ejectus

eja! = interjectiō admirantis

CONFITEOR

Cōnfiteor Deō omnipotentī,
beātæ Marīæ semper Virginī,
beāto Michāēlī Archangelō,
beatō Jōannī Baptistæ,
Sānctis Apostolīs Petrō et Paulō,
et omnibus Sānctīs
quia peccāvī nimis
cogitatiōne, verbō et opere:
meā culpā, meā culpā, meā māximā culpā.
Ideō precor beātam Marīam semper Virginem,
beātum Michāēlem Archangelum,
beātum Jōannem Baptistam,
sānctōs Apostolōs Petrum et Paulum,
et omnēs Sānctōs,
ōrāre prō mē ad Dominum Deum nostrum.
Amēn.

cōnfitērī + dat.

GLORIA IN EXCELSIS DEO

105 Glōria in excelsīs Deō

et in terrā pāx hominibus bonæ voluntātis.

Laudāmus tē,

Benedīcimus tē,

Adōrāmus tē,

110 Glōrificāmus tē,

Grātiās agimus tibi propter magnam glōriam tuam,

Domine Deus, Rēx cælestis, Deus Pater omnipotēns.

115 Domine fīlī ūnigenite, Jēsū Chrīste,

Domine Deus, Agnus Deī, Fīlius Patris,

Quī tollis peccāta mundī, miserēre nōbīs;

Quī tollis peccāta mundī, suscipe dēprecātiōnem nostram;

120 Quī sedēs ad dexteram Patris, miserēre nōbīs.

Quoniam Tū sōlus sānctus,

Tū sōlus Dominus,

Tū sōlus Altissimus, Jēsū Chrīste,

Cum Sānctō Spīritū in glōriā Deī Patris. Amēn.

dēprecātiō ōnis f = actus aliquid ā sē per precēs amovendī, excūsātiō

SANCTI THOMAE AQVINATIS ORATIO ANTE STVDIVM

Creātor ineffābilis,
quī dē thesaurīs sapientiæ tuæ
trēs angelōrum hierarchīas dēsīgnāstī
et eās super cælum empyreum mīrō ōrdine
collocāstī
atque ūniversī partēs ēlēgantissimē distribuistī.
Tū, inquam, quī vērus fōns lūminis
et sapientiæ dīceris
ac superēminēns prīncipium,
īnfundere dīgnēris super intellectūs meī tenebrās
tuæ radium clāritātis.
Duplicēs, in quibus nātus sum,
ā mē removēns tenebrās,
peccātum scīlicet et īgnōrantiam.
Tū, quī linguās īnfantium facīs disertās,
linguam meam ērudiās
atque in labiīs meīs
grātiam tuæ benedictiōnis īnfundās.

prīncipium iī n.

super... tenebrās

tuæ claritātis radium

Dā mihi intelligendī acūmen,

retinendī capācitātem,

145 addiscendī modum et facilitātem,

interpretandī subtīlitātem,

loquendī grātiam copiōsam.

Ingressum īnstruās,

progressum dīrigās,

150 ēgressum compleās.

Tū, quī es vērus Deus et homō,

quī vīvīs et rēgnās

in sæcula sæculōrum.

Amēn.

ad – discere

(Mē) ingressum intruās...

ANGELE DEI

155 Angele Deī,

quī custōs es meī,

mē, tibi commissum

pietāte supernā,

illūminā, custōdī,

160 rege et gubernā.

Raphael Archangelus

supernus = super

SANCTI HIERONYMI VITA

Ex S. Hierōnymī 'Dē virīs Illūstribus' librō XXV, nōnnūllīs mūtātīs et praetermissīs

Hierōnymus patre Eusebiō nātus, oppidō Stridōnis, quod a Gothīs ēversum, Dalmatæ quondam Pannoniæque cōnfīnium fuit, usque in præsentem annum, id est, Theodosiī prīncipis decimum quartum, hæc scrīpsī: Epistolārum ad dīversōs, Novum Testāmentum Græcē fideī reddidī, Vetus jūxtā Hebraicam trānstulī.

Scrīpsī prætereā vītās, homīliās multaque alia dē opere prophētālī, quae nunc habeō in manibus, et necdum explēta sunt.

ēversum = expoliātum

cōnfīnium īī = fīnis

epistōlārum *librōs*

Vetus *Testāmentum*

necdum = nōndum

VETVS TESTAMENTVM

LIBER GENESIS

PARS PRIMA

Historia totīus generis hūmānī



Genesis īnscrībitur prīmus Pentateuchī liber, in quō Moysēs totīus mundī creātiōnem hominumque generātiōnēs ēnārrat atque expōnit.
Græca vōx γένεσις = generātiō, nātīvitās

Creātiō cælī et terræ

1 [1]In prīncipiō creāvit Deus cælum et terram.

[2]Terra autem erat inānis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssī: et Spīritus Deī ferebātur super aquās.

inānis = vacuus

[3]Dīxitque Deus: "Fiat lūx." Et facta est lūx. [4]Et vīdit Deus lūcem quod esset bona: et dīvīsit lūcem ā tenebrīs. [5]Appellāvitque lūcem *Diem*, et tenebrās *Noctem*: factumque est vespere et māne, diēs ūnus.

[6]Dīxit quoque Deus: "Fiat firmāmentum in mediō aquārum: et dīvidat aquās ab aquīs." [7]Et fēcit Deus firmāmentum, dīvisitque aquās, quæ erant sub firmāmentō, ab hīs, quæ erant super firmāmentum. Et factum est ita. [8]Vocāvitque Deus firmāmentum,



Et fēcit Deus firmāmentum, dīvisitque aquās, quae erant sub firmāmentō, ab hīs, quae erant super firmāmentum.

Cælum: et factum est vespere et māne, diēs secundus.

[9]Dīxit vērō Deus: "Congregentur aquæ, quæ sub cælō sunt, in locum ūnum: et appāreat ārida." Et factum est ita. [10]Et vocāvit Deus āridam *Terram*, congregātiōnēsque aquārum appellāvit *Maria*. Et vīdit Deus quod esset bonum.

pārs ārida

[11]Et ait: "Germinet terra herbam virentem, et facientem sēmen, et lignum pōmiferum faciēns frūctum jūxtā genus suum, cujus sēmen in sēmetipsō sit super terram." Et factum est ita. [12]Et prōtulit terra herbam virentem, et facientem sēmen jūxtā genus suum, lignumque faciēns frūctum, et habēns ūnumquodque sēmentem secundum speciem suam. Et vīdit Deus quod esset bonum. [13]Et factum est vespere et māne, diēs tertius.

virēre = viridis esse

pōmifer = pōma ferēns
jūxtā genus = secundum genus

-met est syllābica adjectiō, quæ conjungitur cum prōnōminibus
sēmet = sē

sēmentis, sēmentis *f.* = sparsiō seminum per agrōs

[14]Dīxit autem Deus: "Fiant lūminária in firmāmentō cælī, et dīvidant diem ac nōctem, et sint in signa et tempora, et diēs et annōs [15]ut lūceant in firmāmentō cælī, et illūminent terram." Et factum est ita. [16]Fēcitque Deus duo lūminária magna: lūmināre mājus, ut præesset diēī: et lūmināre minus, ut præesset noctī: et stēllās. [17]Et pōsuit eās in firmā-

lūmināre is *n.* = lūmen

minus comp. parvus n.

mentō cælī, ut lūcērent super terram, [18]et præessent diēī ac noctī, et dīviderent lūcem ac tenebrās. Et vīdit Deus quod esset bonum. [19]Et factum est vespere et māne, diēs quārtus.

[20]Dīxit etiam Deus: "Prōdūcant aquæ reptile animæ vīventis, et volātile super terram sub firmāmentō cælī." [21]Creāvitque Deus cētē grandia, et omnem animam vīventem atque mōtābilem, quam prō-dūxerant aquæ in speciēs suās, et omne volātile secundum genus suum. Et vīdit Deus quod esset bonum. [22]Benedīxitque eīs, dīcēns: "Crēscite, et multiplicāminī, et replēte aquā maris: avēsque multi-plicentur super terram." [23]Et factum est vespere et māne, diēs quīntus.

[24]Dīxit quoque Deus: "Prōdūcat terra animam vīventem in genere suō, jūmenta, et reptilia, et bēstiās terræ secundum speciēs suās." Factumque est ita. [25]Et fēcit Deus bēstiās terræ jūxtā speciēs suās, et jūmenta, et omne reptile terræ in genere suō. Et vīdit Deus quod esset bonum,

[26]et ait: "Faciāmus hominem ad imāginem et similitūdinem nostram: et præsit piscibus maris, et

animal reptile = animal repēns
animæ vīventis = quæ vīvunt

animal volātile = animal volāns

cētos ī *n*

Cētos, i, n. 2. κῆτος, vōx omnīnō Græca significāns magnum mōnstrum marīnum sīve nōmen generāle omnium majōrum piscium maris

cētē n. plr. (græce τὰ κήτη)

mōtābilis < motāre = vehementer movēre

jūmentum = animal hominī adjuvāns
(= adjūmentum < ad-juvāre)

præsse + dat.

volātilibus cælī, et bēstiīs, ūniversæque terræ, omnī-
que reptilī, quod movētur in terrā." [27]Et creāvit Deus
hominem ad imāginem suam: ad imaginem Deī creā-
vit illum, māsculum et fēminam creāvit eōs. [28]Bene-
dīxitque illīs Deus, et ait: "Crēscite et multiplicāminī,
et replēte terram, et subjicite eam, et dominā̄minī
piscibus maris, et volātilibus cælī, et ūniversīs
animantibus, quæ moventur super terram." [29]Dīxit-
que Deus: "Ecce dēdī vōbīs omnem herbam afferen-
tem sēmen super terram, et ūniversa ligna quæ ha-
bent in sēmetipsīs sēmentem generis suī, ut sint vō-
bīs in ēscam: [30]et cūnctīs animantibus terræ, omnīque
volucrī cælī, et ūniversīs quæ moventur in terrā, et in
quibus est anima vīvēns, ut habeant ad vescendum."
Et factum est ita.

[31]Vīditque Deus cūncta quæ fēcerat, et erant valdē
bona. Et factum est vespere et māne, diēs sextus.

omnī reptilī (dat.)

māsculus a um = mās maris

subicere (iō) subjēcisse

ēsca æ < ēsse

vescī = cibō ūtī, pascī

2 [1]Igitur perfectī sunt cælī et terra, et omnis ōrnātus
eōrum. [2]Complēvitque Deus diē septimō opus suum
quod fēcerat: et requiēvit diē septimō ab ūniversō
opere quod patrārat. [3]Et benedīxit diēī septimō, et

ōrnātus ūs *m* = ōrnāmentum

patrārat = patrāverat

sanctificāvit illum, quia in ipsō cessāverat ab omnī opere suō quod creāvit Deus ut faceret.

Plantātiō paradīsī in quō fōrmāntur prīmī parentēs

[4]Istæ sunt generātiōnēs cælī et terræ, quandō creāta sunt, in diē quō fēcit Dominus Deus cælum et terram, [5]et omne virgultum agrī antequam orirētur in terrā, omnemque herbam regiōnis priusquam germināret: nōn enim plūerat Dominus Deus super terram, et homō nōn erat quī operārētur terram: [6]sed fōns ascendebat ē terrā, irrigāns ūniversam superficiem terræ. [7]Fōrmāvit igitur Dominus Deus hominem dē līmō terræ, et īnspīrāvit in faciem ejus spīrāculum vītæ, et factus est homō in animam vīventem.

virgultum ī

operārī = labōrāre

fōns fontis *m*

spīrāculum = spīritus levis

[8]Plantāverat autem Dominus Deus paradīsum voluptātis ā principiō, in quō posuit hominem quem fōrmāverat. [9]Prōdūxitque Dominus Deus dē hūmō omne lignum pulchrum vīsū, et ad vescendum suave; lignum etiam vītæ in mediō paradīsī, lignumque scientiæ bonī et malī. [10]Et fluvius ēgrediēbātur dē locō voluptātis ad irrigandum paradīsum, quī inde dīviditur in quatuor capita. [11]Nōmen ūnī *Phīsōn*: ipse

suāvis magis ad *mollem* spectat

est quī circuit omnem terram Hevilath, ubi nāscitur aurum: [12]et aurum terræ illīus optimum est; ibi invenītur bdellium, et lapis onychinus. [13]Et nōmen fluviī secundī *Gēhōn*; ipse est quī circumit omnem terram Æthiōpiæ. [14]Nōmen vērō flūminis tertiī, *Tīgris*: ipse vādit contrā Assyriōs. Fluvius autem quārtus, ipse est *Euphrātēs*.

[15]Tulit ergō Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradīsō voluptātis, ut operārētur, et custōdīret illum [16]præcēpitque eī, dīcēns: "Ex omnī lignō paradīsi comede; [17]dē lignō autem scientiæ bonī et malī nē comedās: in quōcumque enim diē comēderis ex eō, morte moriēris."

[18]Dīxit quoque Dominus Deus: "Nōn est bonum esse hominem solum: faciāmus eī adjūtōrium simile sibi." [19]Fōrmātis igitur Dominus Deus dē hūmō cūnctīs animantibus terræ, et ūniversīs volātilibus cælī, addūxit ea ad Ādām, ut vidēret quid vocāret ea: omne enim quod vocāvit Ādām animæ vīventis, ipsum est nōmen ejus. [20]Appellavitque Ādām nōminibus suīs cūncta animantia, et ūniversa volātilia cælī, et omnēs bēstiās terræ: Ādæ vērō nōn inve-

circuīre = circumīre

bdellium (βδέλλιον) = unguentum pretiōsum
onychinus < onyx ychis (ὄνυξ) = lapis pretiōsum

Tulit ergō Deus hominem, et posuit eum in paradīsō voluptātis

præcipere (iō) = prævenīre

comedere = ēsse

comedere comēdisse

adjūtōrium < adjūvāre

Fōrmātis igitur cūnctīs animantibus...
... Deus addūxit ea (*i.e. ea animantia*)

animāns = animal

quid = quōmodō *Ādām* vocāret ea

omne *nōmen*...

...ejus *animæ*

Ādæ (dat.)

niēbātur adjūtor similis ejus.

[21]Immīsit ergō Dominus Deus sopōrem in Ādām: cumque obdormīsset, tulit ūnam dē costīs ejus, et replēvit carnem prō eā. [22]Et ædificāvit Dominus Deus costam, quam tulerat dē Ādām, in mulierem: et addūxit eam ad Ādām. [23]Dīxitque Ādām: "Hoc nunc os ex ossibus meīs, et carō dē carne mea: hæc vocābitur *virāgō*, quōniam dē virō sūmpta est. [24]Quam ob rem relinquet homō patrem suum, et mātrem, et adhærēbit uxorī suæ: et erunt duo in carne ūnā."

[25]Erat autem uterque nūdus, Ādām scīlicet et uxor ejus: et nōn ērubēscēbant.

adjūtor = adjūtōrium

obdormīsset = obdormīvisset
costæ = ossa incurva quæ pulmōnēs prōtegunt

virāgō = mulier
vocābulum *virō* similie sicut hebr. אִשָּׁה *isha* (= mulier) est simile ac אִישׁ *ish (= vir)*

ad hærēre

Prōtoparentum lāpsus

3 [1]Sed et serpēns erat callidior cūnctīs animantibus terræ quæ fēcerat Dominus Deus. Quī dīxit ad mulierem: "Cūr præcēpit vōbīs Deus ut nōn comederētis dē omnī lignō paradīsī?" [2]Cui respondit mulier: "Dē frūctū lignōrum, quæ sunt in paradīsō, vescimur: [3]dē frūctū vērō lignī quod est in mediō paradīsī, præcēpit nōbīs Deus nē comederēmus, et nē tangerēmus illud, nē forte moriāmur." [4]Dīxit autem



Serpēns erat callidior cūnctīs animantibus

præcipere (iō) = jubēre

serpēns ad mulierem: "Nēquāquam morte moriēminī. [5]Scit enim Deus quod in quōcumque diē comēderitis ex eō, aperientur oculī vestrī, et eritis sīcut diī, scientēs bonum et malum." [6]Vīdit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculīs, aspectūque dēlectābile: et tulit dē frūctū illīus, et comēdit: deditque virō suō, quī comēdit.

nequāquam = minimē, nūllō modō



folia ficūs

[7]Et apertī sunt oculī ambōrum; cumque cōgnovissent sē esse nudōs, cōnsuērunt folia fīcūs, et fēcērunt sibi perizōmata. [8]Et cum audīssent vocem Dominī Deī deambulantis in paradīsō ad auram post merīdiem, abscondit sē Ādām et uxor ejus ā faciē Dominī Deī in mediō lignī paradīsī.

perizōma atis n. (περίζωμα): vestimentum quō genitalia contenguntur

[9]Vocāvitque Dominus Deus Ādām, et dīxit eī: "Ubi es?" [10]Quī ait: "Vocem tuam audīvī in paradīsō, et timuī, eō quod nudus essem, et abscondī mē." [11]Cui dīxit: "Quis enim indicāvit tibi quod nudus esses, nisi quod ex lignō dē quō præcēperam tibi nē comederēs, comēdistī?" [12]Dīxitque Ādām: "Mulier, quam dedistī mihi sociam, dedit mihi dē lignō, et comēdī." [13]Et dīxit Dominus Deus ad mulierem: "Quārē hoc

fēcistī?” Quæ respondit: “Serpēns dēcēpit mē, et comēdī.”

dēcipere (iō) = fallere

Īnflīctiō pœnae atque prōmissiō redemptiōnis

[14]Et ait Dominus Deus ad serpentem: “Quia fecistī hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bēstiās terræ: super pectus tuum gradiēris, et terram comedēs cūnctīs diēbus vītæ tuæ. [15]Inimīcitiās pōnam inter tē et mulierem, et sēmen tuum et sēmen illīus: ipsa conteret caput tuum, et tū īnsidiāberis calcāneō ejus.”

gradī = gradum facere, prōgredī

ipsa contēneret caput tuum

conterere = terere, ad pulverem redigere
īnsidiāre + dat.
calcāneum ī *n.* = pars posterior imī pedis

[16]Mulierī quoque dīxit: “Multiplicābō ærumnās tuās, et conceptūs tuōs: in dolōre pariēs fīliōs, et sub virī potestāte erīs, et ipse dominābitur tuī.”

ærumna = labor onerōsus

conceptus ūs = conceptiō fētūs

[17]Ādæ vērō dīxit: “Quia audīstī vōcem uxōris tuæ, et comēdistī dē lignō, ex quō præcēperam tibi nē comederēs, maledicta terra in opere tuō: in labōribus comedēs ex eā cūnctis diēbus vītæ tuæ. [18]Spīnas et tribulōs germinābit tibi, et comedēs herbam terræ. [19]In sūdōre vultūs tuī vesceris pāne, dōnec revertāris in terram dē quā sūmptus es: quia pulvis es et in pulverem revertēris.”

tribulus ī *m*

vescī + *abl.*

[20]Et vocāvit Ādām nōmen uxōris suæ, *Hevā*: eō quod

Hebraicē: חוָּה *Hawwāh* significāns *fōns vītæ*

māter esset cūnctōrum vīventium.

[21]Fēcit quoque Dominus Deus Ādæ et uxōrī ejus tunicās pelliceās, et induit eōs: [22]et ait: "Ecce Ādām quasi ūnus ex nōbīs factus est, sciēns bonum et malum: nunc ergō nē forte mittat manum suam, et sūmat etiam dē lignō vītæ, et comedat, et vīvat in æternum." [23]Et ēmīsit eum Dominus Deus dē paradīsō voluptātis, ut operārētur terram dē quā sūmptus est. [24]Ējēcitque Ādām: et collocāvit ante paradīsum voluptātis cherubīm, et flammeum gladium, atque versātilem, ad custōdiendam viam lignī vītæ.

operārī = labōrāre

Cherubīm (כְּרוּבִים): sublimiōra agmina angelōrum, quī, quod vīcīnius positī, divinā scientiā ceterīs amplius fruuntur.

Cherubim īnsuper Arcam Fœderis

Caīn et Abel

4 [1]Ādām vērō cōgnōvit uxōrem suam Hevām, quæ concēpit et peperit Caīn, dīcēns: "*Possēdī* hominem per Deum." [2]Rūrsumque peperit frātrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Caīn agrīcola.

Cain, hebraicē קנה *qnh* = *possidere*

[3]Factum est autem post multōs diēs ut offerret Caīn dē frūctibus terræ mūnera Dominō. [4]Abel quoque obtulit dē prīmōgenitīs gregis suī, et dē adipibus eōrum: et respēxit Dominus ad Abel, et ad mūnera ejus. [5]Ad Caīn vērō, et ad mūnera illīus nōn respēxit:

adeps adipis *m. et f.* = oleum pingue ex animālibus, lāridum

īrātusque est Caīn vehementer, et concidit vultus ejus. [6]Dīxitque Dominus ad eum: "Quārē īrātus es? et cūr concidit faciēs tua? [7]nōnne sī bene ēgeris, recipiēs: sīn autem male, statim in foribus peccātum aderit? sed sub tē erit appetitus ejus, et tū domināberis illīus."

concīdit vultus = cecīdit vultus

sīn autem male *ēgeris*

appetitus *peccātī*

dominārī + *gen.* = imperium habēre in aliquam rem

[8]Dīxitque Caīn ad Abel fratrem suum: "Ēgrediāmur forās. Cumque essent in agrō, cōnsurrēxit Caīn adversus fratrem suum Abel, et interfēcit eum.

[9]Et ait Dominus ad Caīn: "Ubi est Abel frāter tuus?" Quī respondit: "Nesciō: num custōs fratris meī sum ego?" [10]Dīxitque ad eum: "Quid fēcistī? vōx sanguinis frātris tuī clāmat ad mē dē terrā. [11]Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit ōs suum, et suscēpit sanguinem frātris tuī dē manū tuā. [12]Cum operātus fueris eam, nōn dabit tibi frūctūs suōs: vagus et profugus eris super terram."

operārī = labōrāre

[13]Dīxitque Caīn ad Dominum: "Major est inīquitās mea, quam ut veniam merear. [14]Ecce ējicis mē hodiē ā faciē terræ, et ā faciē tuā abscondar, et erō vagus et profugus in terrā: omnis igitur quī invēnerit mē, occīdet mē." [15]Dīxitque eī Dominus: "Nēquāquam ita

fiet: sed omnis quī occīderit Caīn, septuplum pūniētur.”

Posuitque Dominus Caīn signum, ut nōn interficeret eum omnis quī invēnisset eum. [16]Ēgressusque Caīn ā faciē Dominī, habitāvit profugus in terrā ad orientālem plāgam Ēden.

septuplum = quantitās septiēs aucta

plaga = planitiēs, pāgus

Prōgeniēs Caīn

[17]Cōgnōvit autem Caīn uxōrem suam, quæ concēpit, et peperit Henōch: et ædificāvit cīvitātem, vocāvitque nōmen ejus ex nōmine fīliī suī Henōch.

[18]Porrō Henōch genuit Īrād, et Īrād genuit Maviāēl, et Maviāēl genuit Mathūsāēl, et Mathūsāēl genuit Lāmēch. [19]Quī accēpit duās uxōres, nōmen ūnī Ādā, et nōmen alterī Sellā.

tentōrium = taberna ē vēlīs facta

[20]Genuitque Ādā Jābēl, quī fuit pater habitantium in tentōriīs, atque pastōrum. [21]Et nōmen frātris ejus Jūbāl: ipse fuit pater canentium citharā et organō.

organum = īnstrūmentum mūsicum quod spīritū īnflātur ut tībiae

[22]Sellā quoque genuit Tūbalcaīn, quī fuit malleātor et faber in cuncta opera æris et ferrī. Soror vērō Tūbalcaīn, Noëmā.

malleātor < malleus

malleus

[23]Dīxitque Lamech uxōribus suīs Ādæ et Sellæ: “Au-

dīte vōcem meam, uxōres Lamech; auscultāte sermō-
nem meum: quoniam occīdī virum in vulnus meum,
et adolescentulum in līvōrem meum. [24]Septuplum
ultiō dabitur dē Caīn: dē Lamech vērō septuāgiēs
septiēs."

līvor ōris *m.* < līvidus

septuāgiēs = septuāgintā vicibus
gr. ἑβδομηκοντάκις

Sēth ejusque prōgeniēs

[25]Cōgnōvit quoque adhuc Ādām uxōrem suam: et
peperit fīlium, vocāvitque nōmen ejus Sēth, dīcēns:
"Posuit mihi Deus sēmen aliud pro Abel, quem
occīdit Caīn." [26]Sed et Sēth nātus est fīlius, quem
vocāvit Enōs: iste cœpit invocāre nōmen Dominī.

Seth, fīlius Ādām

Generatiōnis Ādām

5 [1]Hic est liber generātiōnis Ādām.
In diē quā creāvit Deus hominem, ad similitūdinem
Deī fēcit illum. [2]Masculum et fēminam creāvit eōs, et
benedīxit illīs: et vocāvit nōmen eōrum Ādām, in diē
quō creatī sunt.
[3]Vīxit autem Ādām centum trīgintā annīs: et genuit
ad imāginem et similitūdinem suam, vocāvitque
nōmen ejus Sēth. [4]Et factī sunt diēs Ādām, postquam

genuit Sēth, octingentī annī: genuitque fīliōs et fīliās. octingentī = DCCC (800)
[5]Et factum est omne tempus quod vīxit Ādām, annī
nōngentī trīgintā, et mortuus est. nōngentī = DCCCC (900)

[6]Vīxit quoque Sēth centum quīnque annīs, et genuit Enōs. [7]Vīxitque Sēth, postquam genuit Enōs, octingentīs septem annīs, genuitque fīliōs et fīliās. [8]Et factī sunt omnēs diēs Seth nōngentōrum duodecim annōrum, et mortuus est.

[9]Vīxit vērō Enōs nōnāgintā annīs, et genuit Cainān. [10]Post cujus ortum vīxit octingentīs quīndecim annīs, et genuit fīliōs et fīliās. [11]Factīque sunt omnēs diēs Enōs nōngentī quīnque annī, et mortuus est.

[12]Vīxit quoque Cainān septuāgintā annīs, et genuit Mālāleēl. [13]Et vīxit Cainān, postquam genuit Mālāleēl, octingentīs quadrāgintā annīs, genuitque fīliōs et fīliās. [14]Et factī sunt omnēs diēs Cainān nōngentī decem annī, et mortuus est. [15]Vīxit autem Mālāleēl sexāgintā quīnque annīs, et genuit Jāred. [16]Et vīxit Mālāleēl, postquam genuit Jāred, octingentīs trigintā annīs, et genuit fīliōs et fīliās. [17]Et factī sunt omnēs diēs Mālāleēl octingentī nōnāgintā quīnque annī, et mortuus est. [18]Vīxitque Jarēd centum sexāgintā duōbus annīs,

et genuit Henōch. [19]Et vīxit Jarēd, postquam genuit Henōch, octingentīs annī, et genuit fīliōs et fīliās. [20]Et factī sunt omnēs diēs Jarēd nōngentī sexāgintā duo annī, et mortuus est.

[21]Porrō Henōch vīxit sexāgintā quīnque annīs, et genuit Mathūsalam. [22]Et ambulāvit Henōch cum Deō: et vīxit, postquam genuit Mathūsalam, trecentīs annīs, et genuit fīliōs et fīliās. [23]Et factī sunt omnēs diēs Henōch trecentī sexāgintā quīnque annī. [24]Ambulāvitque cum Deō, et nōn apparuit: quia tulit eum Deus. [25]Vīxit quoque Mathūsala centum octōgintā septem annīs, et genuit Lāmech. [26]Et vīxit Mathūsala, postquam genuit Lāmech, septingentīs octōgintā duōbus annīs, et genuit fīliōs et fīliās. [27]Et factī sunt omnēs diēs Mathūsala nōngentī sexāgintā novem annī, et mortuus est. [28]Vīxit autem Lamēch centum octōgintā duōbus annīs, et genuit fīlium: [29]vocāvitque nōmen ejus Noë, dīcēns: "Iste cōnsōlābitur nōs ab operibus et labōribus manuum nostrārum in terrā, cui maledīxit Dominus". [30]Vīxitque Lāmech, postquam genuit Noë, quīngentīs nōnāgintā quīnque annīs, et genuit fīliōs et fīliās. [31]Et factī sunt omnēs diēs

Ambulāvit Enōch cum Deō

septingentī = DCC (700)

Lāmech septingentī septuāgintā septem annī, et mortuus est. Noë vērō cum quīngentōrum esset annōrum, genuit Sēm, Chām et Japhet.

Deus dēcernit dīluvium

6 [1]Cumque cœpissent hominēs multiplicārī super terram, et fīliās prōcreāssent, [2]videntēs fīliī Deī fīliās hominum quod essent pulchræ, accēpērunt sibi uxōrēs ex omnibus, quās ēlēgerant. [3]Dīxitque Deus: "Nōn permanēbit spīritus meus in homine in æternum, quia carō est: eruntque diēs illīus centum vīgintī annōrum."

[4]Gigantēs autem erant super terram in diēbus illīs: postquam enim ingressī sunt fīliī Deī ad fīliās hominum, illæque genuērunt, istī sunt potentēs ā sæculō virī fāmōsī.

istī *gigantēs* sunt fāmōsī virī potentēs āb *antiquō* saeculō

[5]Vidēns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terrā, et cūncta cōgitātiō cordis intenta esset ad malum omnī tempore, [6]pœnituit eum quod hominum fēcisset in terrā. Et tactus dolōre cordis intrīnsecus, [7]"Dēlēbō", inquit, "hominem, quem creāvī, ā faciē terræ, ab homine usque ad animantia, ā reptilī

usque ad volucrēs cælī: pœnitet enim mē fēcisse eōs.”

Noë praepārat arcam

[8]Noë vērō invēnit grātiam cōram Dominō. [9]Hæ sunt generātiōnēs Noë: Noë vir justus atque perfectus fuit in generatiōnibus suīs; cum Deō ambulāvit.

[10]Et genuit trēs fīliōs, Sēm, Chām et Japheth.

[11]Corrupta est autem terra cōram Deō, et replēta est inīquitāte. [12]Cumque vīdisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe carō corrūperat viam suam super terram), [13]dīxit ad Noë: “Fīnis universæ carnis vēnit cōram mē: replēta est terra inīquitāte ā faciē eōrum, et ego disperdam eōs cum terrā. [14]Fac tibi arcam dē lignīs lævīgātīs; mānsiunculās in arcā faciēs, et bitūmine liniēs intrīnsecus et extrīnsecus. [15]Et sīc faciēs eam: trecentōrum cubitōrum erit longitūdō arcæ, quīnquagintā cubitōrum lātitūdō, et trīgintā cubitōrum altitūdō illīus. [16]Fenestram in arcā faciēs, et in cubitō cōnsummābis summitātem ejus: ostium autem arcæ ponēs ex latere; deōrsum, cœnacula et tristega faciēs in eā.

[17]Ecce ego addūcam aquās dīlūviī super terram, ut

inīquitās = vitium æquitātī contrārium

quippe *adv.* = certe

bitūmen bitūminis *m.*

lævīgātus = levem f'acere
mānsiuncula = parva mānsiō
(mānsiō = locus ubi manēre)

linīre = ungere, rem liquidam alterī superindūcere, claudendī causā
intrīnsecus = in interiōre parte
extrīnsecus ↔ intrīnsecus

lātitūdo < lātus eris

cōnsummāre = in summum redigere
summitās = vertex



cœnaculum = cubiculum ad cœnam
tristega = cubiculum tertium tabulātum
tabulātus < tabula

interficiam omnem carnem, in quā spīritus vītæ est subter cælum: ūniversa quæ in terrā sunt, cōnsūmentur. [18]Pōnamque fœdus meum tēcum: et ingrediēris arcam tū et fīliī tuī, uxor tua, et uxōres fīliōrum tuōrum tēcum.

subter = sub

bīna animantia in arcam indūcēs

[19]Et ex cūnctīs animantibus ūniversæ carnis bīna indūcēs in arcam, ut vīvant tēcum: masculīnī sexūs et fēminīnī. [20]Dē volucribus juxtā genus suum, et dē jūmentīs in genere suō, et ex omnī reptilī terræ secundum genus suum: bīna dē omnibus ingredientur tēcum, ut possint vīvere. [21] Tollēs igitur tēcum ex omnibus ēscīs, quæ mandī possunt, et comportābis apud tē: et erunt tam tibi, quam illīs in cibum. [22]Fēcit igitur Noë omnia quæ præceperat illī Deus.

ēsca ae = cibus
mandere = ēsse

Noë ingreditur in arcam

7 [1]Dīxitque Dominus ad eum: "Ingredere tū et omnis domus tua in arcam: tē enim vīdī justum cōram mē in generātiōne hāc. [2]Ex omnibus animantibus mundīs tolle septēna et septēna, masculum et fēminam: dē animantibus vērō immundīs duo et duo, masculum

septēnus = *distributīvum dē septem*

munda ↔ immunda

et fēminam. [3]Sed et dē volātilibus cælī sepētna et septēna, masculum et fēminam: ut salvētur sēmen super faciem ūniversæ terræ. [4]Adhūc enim, et post diēs septem ego pluam super terram quadrāgintā diēbus et quadrāgintā noctibus: et dēlēbō omnem substantiam, quam fēcī, dē superficiē terræ."

[5]Fēcit ergō Noë omnia quæ mandāverat eī Dominus. [6]Eratque sexcentōrum annōrum quandō dīluviī aquæ inundāvērunt super terram. [7]Et ingressus est Noë et fīliī ejus, uxor ejus et uxōrēs fīliōrum ejus cum eō in arcam propter aquās dīluviī. [8]Dē animantibus quoque mundīs et immundīs, et dē volucribus, et ex omnī quod movētur super terram, [9]duo et duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus et fēmina, sīcut præcēperat Dominus Noë. [10]Cumque trānsīssent septem diēs, aquæ dīluviī inundāvērunt super terram.

[11]Annō sexcentēsimō vītæ Noë, mēnse secundō, septimō decimō diē mēnsis, ruptī sunt omnēs fontēs abyssī magnæ, et cataractæ cælī apertæ sunt: [12]et facta est pluvia super terram quadrāgintā diēbus et quadrāgintā noctibus. [13]In articulō dieī illīus ingres-

cataracta = locus praeceps in flumine, ubi aqua magnō impetū dēruit.

in articulō dieī = prīmā lūce

sus est Noë, et Sēm, et Chām, et Japheth fīliī ejus;
uxor illīus, et trēs uxōrēs fīliōrum ejus cum eīs in
arcam: [14]ipsī et omne animal secundum genus suum,
ūniversaque jūmenta in genere suō, et omne quod
movētur super terram in genēre suō, cūnctumque
volātile secundum genus suum, ūniversæ avēs,
omnēsque volucrēs, [15]ingressæ sunt ad Noë in arcam,
bīna et bīna ex omnī carne, in quā erat spīritus vītæ.
[16]Et quæ ingressa sunt, masculus et fēmina ex omnī
carne introiērunt, sīcut præcēperat eī Deus: et inclū-
sit eum Dominus dēforis.

dēforis *adv.* = ā locō exteriōre

Dīluvium

[17]Factumque est dīluvium quadrāgintā diēbus super
terram: et multiplicātæ sunt aquæ, et elevāvērunt
arcam in sublīme ā terrā. [18]Vehementer enim inundā-
vērunt, et omnia replēvērunt in superficiē terræ:
porrō arca ferebātur super aquās. [19]Et aquæ prævālu-
ērunt nimis super terram: opertīque sunt omnēs
montēs excelsī sub ūniversō cælō.

in sublīme *aquārum*

[20]Quīndecim cubitīs altior fuit aqua super montēs,
quōs operuerat.

[21]Consumptaque est omnis carō quæ movēbātur super terram, volucrum, animantium, bēstiārum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram: ūniversī hominēs, [22]et cūncta, in quibus spīrāculum vītæ est in terrā, mortua sunt. [23]Et dēlēvit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucrēs cælī: et dēleta sunt dē terrā. Remānsit autem solus Noë, et quī cum eō erant in arcā. [24]Obtinuēruntque aquæ terram centum quīnquāgintā diēbus.

spīrāculum vītæ = flātus vītæ

pecus pecudis *f* = bēstia cujuscumque generis

obtinuērunt terram = operuērunt terram

Cessat dīluvium

8 [1]Recordātus autem Deus Noë, cūnctōrumque animantium, et omnium jūmentōrum, quæ erant cum eō in arcā, addūxit spīritum super terram, et imminūtæ sunt aquæ. [2]Et clausī sunt fontēs abyssī, et cataractæ cælī: et prohibitæ sunt pluviæ dē cælō. [3]Reversæque sunt aquæ dē terrā euntēs et redeuntēs: et cœpērunt minuī post centum quīnquāgintā diēs. [4]Requiēvitque arca mēnse septimō, vīgēsimō septimō diē mēnsis, super montēs Armeniæ. [5]At vērō aquæ ībant et dēcrēscēbant usque ad decimum mēnsem:

Noë (indecl. in gen. scīlicet)

spīritus = ventus validus



Tabula Asiae in tempestāte Noë

vīgēsimus = vīcēsimus

decimō enim mēnse, prīmō diē mēnsis, apparuērunt cacūmina montium.

cacūmen = summitās

[6]Cumque trānsīssent quadrāgintā diēs, aperiēns Noë fenestram arcæ, quam fēcerat, dīmīsit corvum, [7]quī ēgrediēbātur, et nōn revertēbātur, donec siccārentur aquæ super terram. [8]Ēmīsit quoque columbam post eum, ut vidēret sī jam cessāssent aquæ super faciem terræ. [9]Quæ cum nōn invēnisset ubi requiēsceret pēs ejus, reversa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super ūniversam terram: extenditque manum, et apprehēnsam intulit in arcam. [10]Expectātīs autem ultrā septem diēbus aliīs, rūrsum dīmīsit columbam ex arcā. [11]At illa vēnit ad eum ad vesperam, portāns rāmum olīvæ virentibus foliīs in ōre suō: intellēxit ergō Noë quod cessāssent aquæ super terram. [12]Expectāvitque nihilominus septem aliōs diēs: et ēmīsit columbam, quæ nōn est reversa ultrā ad eum.

corvus

cessāssent = cessāvissent

columba rāmum olīvae virentibus foliīs in ōre suō portāns

[13]Igitur sexcentēsimō prīmō annō, prīmō mēnse, prīmā diē mēnsis, imminūtæ sunt aquæ super terram: et aperiēns Noë tēctum arcæ, aspēxit, vīditque quod exsiccāta esset superficiēs terræ. [14] Mēnse secundō, septimō et vīgēsimō diē mēnsis arefacta est terra.

Igitur... = Ergō...

sexcentēsimō = sescentēsimō

arefacere = aridum facere, siccāre

Noë ēgreditur dē arcā

Ædificāvit Noë altāre Dominō
et obtulit holocausta super altare

15 Locūtus est autem Deus ad Noë, dīcēns: 16 "Ēgre-
dere dē arcā, tū et uxor tua, fīliī tuī et uxōrēs fīliōrum
tuōrum tecum. 17 Cūncta animantia, quæ sunt apud
tē, ex omnī carne, tam in volātilibus quam in bēstiīs
et ūniversīs reptilibus, quæ reptant super terram,
ēdūc tēcum, et ingrediminī super terram: crēscite et
multiplicāminī super eam."

18 Ēgressus est ergō Noë, et fīliī ejus: uxor illīus, et
uxōres fīliōrum ejus cum eō. 19 Sed et omnia animan-
tia, jūmenta, et reptilia quæ reptant super terram,
secundum genus suum, ēgressa sunt dē arcā.

sed et = sed etiam

20 Ædificāvit autem Noë altāre Dominō: et tollēns dē
cūnctīs pecoribus et volucribus mundīs, obtulit holo-
causta super altāre.

holocaustum = sacrificiī genus, quō tota combūrēbātur victima, non sōla exta; ab ὅλος *tōtus* et καύω *ūrere*

21 Odōrātusque est Dominus odōrem suāvitātis, et
ait: "Nēquāquam ultrā maledīcam terræ propter
hominēs: sēnsus enim et cōgitātiō humānī cordis in
malum prōna sunt ab adolescentiā suā: nōn igitur
ultrā percutiam omnem animam vīventem sīcut fēcī.
22 Cūnctīs diēbus terræ, sēmentis et messis, frīgus et

odōrārī = odōrem percipere

nēquāquam = minimē, particula vehementer negāns,

prōnus = inclīnātus

sēmentis, sēmentis *f* = sparsiō sēminum
messis is *f* < metere

æstus, æstās et hiems, nox et diēs nōn requiēscent."

Noë benedictus ā Deō

9 [1] Benedīxitque Deus Noë et fīliīs ejus. Et dīxit ad eōs: "Crēscite, et multiplicāminī, et replēte terram. [2]Et terror vester ac tremor sit super cūncta animalia terræ, et super omnēs volucrēs cælī, cum ūniversīs quæ moventur super terram: omnēs piscēs maris manuī vestræ trāditī sunt. [3]Et omne, quod movētur et vīvit, erit vōbīs in cibum: quasi olera virentia trādidī vōbīs omnia. [4]Exceptō, quod carnem cum sanguine nōn comedētis. [5]Sanguinem enim animārum vestrārum requīram dē manū cūnctārum bēstiārum: et dē manū hominis, dē manu virī, et frātris ejus requīram animam hominis. [6]Quīcumque effūderit humanum sanguinem, fundētur sanguis illīus: ad imāginem quippe Deī factus est homō. [7]Vōs autem crēscite et multiplicāminī, et ingrediminī super terram, et implēte eam."

olus eris = holus eris
virēre = esse viridis (= color herbæ)

animārum = vītārum

requīrere = dīligenter quærere

animam = vītam

quippe = igitur

ingredī = incedere, ambulāre

Deī pactum cum Noë

[8]Hæc quoque dīxit Deus ad Noë, et ad fīliōs ejus

cum eō: [9]"Ecce ego statuam pactum meum vōbīs-
cum, et cum sēmine vestrō post vōs; [10]et ad omnem
animam vīventem, quæ est vōbīscum, tam in volu-
cribus quam in jūmentis et pecudibus terræ cunctīs,
quæ ēgressa sunt dē arcā, et ūniversīs bēstiīs terræ.
[11]Statuam pactum meum vōbīscum, et nēquāquam
ultrā interficiētur omnis carō aquīs dīluviī, neque erit
deinceps dīluvium dissipāns terram."

dissipāre = spargere, dispergere

[12]Dīxitque Deus: "Hoc signum fœderis quod dō inter
mē et vōs, et ad omnem animam vīventem, quæ est
vōbīscum in generātiōnēs sempiternās: [13]arcum
meum pōnam in nūbibus, et erit signum fœderis
inter mē et inter terram. [14]Cumque obdūxerō nūbibus
cælum, appārēbit arcus meus in nūbibus; [15]et recor-
dābor fœderis meī vōbīscum, et cum omnī animā
vīvente quæ carnem vegetat; et nōn erunt ultrā aquæ
dīluviī ad dēlendum ūniversam carnem. [16]Eritque
arcus in nūbibus, et vidēbō illum, et recordābor
fœderis sempiternī quod pactum est inter Deum et
omnem animam vīventem ūniversæ carnis quæ est
super terram."

arcum meum pōnam in nūbibus

obdūcere cælum = circumdāre cælum

vegetāre = crēscere fācere, vīvificāre

[17]Dīxitque Deus ad Noë: "Hoc erit signum fœderis,

quod cōnstituī inter mē et omnem carnem super terram."

Noë, maledictō Chanāan, Sēm et Japhet benedīcit

[18]Erant ergō fīliī Noë, quī ēgressī sunt dē arcā, Sēm, Chām et Japheth: porrō Chām ipse est pater Chanāan. [19]Trēs istī fīliī sunt Noë: et ab hīs dissēminātum est omne genus hominum super ūniversam terram.

[20]Cœpitque Noë vir agricola exercēre terram, et plantāvit vīneam. [21]Bibēnsque vīnum inēbriātus est, et nudātus in tabernāculō suō.

vīnea, ae

in-ēbriātus < ēbrius

[22]Quod cum vīdisset Chām, pater Chanāan, verenda scīlicet patris suī esse nudāta, nūntiāvit duōbus frātribus suīs forās. [23]At vērō Sēm et Japheth pallium imposuērunt humerīs suīs, et incēdentēs retrōrsum, operuērunt verenda patris suī: faciēsque eōrum āversæ erant, et patris virīlia nōn vīdērunt.

verenda = partēs pudendae

retrōrsum = retrō

[24]Ēvigilāns autem Noë ex vīnō, cum didicisset quæ fēcerat eī fīlius suus minor, [25]ait: "Maledīctus Chanāan, servus servōrum erit frātribus suīs." [26]Dīxitque: Benedīctus Dominus Deus Sēm, sit Chanāan servus ejus. [27]Dīlātet Deus Japheth, et habitet in tabernāculīs

Sēm, sitque Chanāan servus ejus.”

[28]Vīxit autem Noë post dīluvium trecentīs quīn-
quāgintā annīs. [29]Et implētī sunt omnēs diēs ejus nōn-
gentōrum quīnquāgintā annōrum: et mortuus est.

Maledīctus Chānaan...
Benedictus Dominus Deus Sēm...
Dilātet Deus Japhet...

dīlātāre = lātum fācere

Generatiōnēs fīliōrum Noë

10 [1]Hæ sunt generatiōnēs fīliōrum Noë, Sēm, Chām
et Japheth: nātīque sunt eīs fīliī post dīluvium.

[2]Fīliī Japheth: Gomer, et Māgog, et Mādai, et Jāvān,
et Thubāl, et Mosoch, et Thīrās.

[3]Porrō fīliī Gomer: Ascēnez et Rīphath et Thogormā.

[4]Fīliī autem Jāvān: Elīsā et Tharsīs, Cetthīm et Doda-
nīm.

[5]Ab hīs dīvīsæ sunt īnsulæ gentium in regiōnibus
suīs, ūnusquisque secundum linguam suam et fami-
liās suās in nātiōnibus suīs.

[6]Fīliī autem Chām: Chūs, et Mesraīm, et Phūth, et
Chanaān.

[7]Fīliī Chūs: Sabā, et Hevīlā, et Sabathā, et Regmā, et
Sabatachā. Fīliī Regmā: Sabā et Dadān.

[8]Porrō Chūs genuit Nemrod: ipse cœpit esse potēns
in terrā, [9]et erat rōbustus vēnātor cōram Dominō. Ob

hoc exīvit prōverbium:

Quasī Nemrod rōbustus vēnātor cōram Dominō.

Nemrod rōbustus vēnātor cōram Dominō

[10]Fuit autem prīncipium rēgnī ejus Bābylōn, et Arach et Achad, et Chalannē, in terrā Sennaār.

[11]Dē terrā illā ēgressus est Assūr, et ædificāvit Nīnivēn, et platēās cīvitātis, et Chāle. [12]Resen quoque inter Nīnivēn et Chāle: hæc est cīvitās magna.

platēa ae = via lāta in urbe (gr. πλατύς = lātus > πλατεία)

[13]At verō Mesraīm genuit Lūdīm, et Anāmīm et Laabīm, Nephthuīm, [14]et Phetrusīm, et Chasluīm: dē quibus ēgressī sunt Philisthiīm et Caphtorīm.

[15]Chanaān autem genuit Sīdōnem prīmōgenitum suum. Hethæum, [16]et Jebūsæum, et Āmorrhæum, Gergēsæum, [17]Hevæum, et Aracæum: Sinæum, [18]et Aradium, Samāræum, et Amathæum: et post hæc disseminātī sunt populī Chananæōrum.

[19]Factīque sunt terminī Chanaān venientibus ā Sīdōne Gerārām usque Gazām, dōnec ingrediāris Sodomām et Gomorrhām, et Adamām, et Sebōīm usque Lēsa.

terminus = līmes, fīnis

[20]Hī sunt fīliī Chām in cōgnātiōnibus, et linguīs, et generātiōnibus, terrīsque et gentibus suīs.

[21]Dē Sēm quoque natī sunt, patre omnium fīliōrum

Heber, fratre Japheth majōre.

[22]Fīliī Sēm: Ælām, et Assūr, et Arphaxad, et Lūd, et Arām. [23]Fīliī Arām: Ūs, et Hūl, et Gether, et Mes. [24]At verō Arphaxad genuit Sāle, dē quō ortus est Hēber. [25]Natīque sunt Hēber fīliī duo: nōmen ūnī Phaleg, eō quod in diēbus ejus dīvīsa sit terra: et nōmen frātris ejus Jēctān. [26]Quī Jēctān genuit Elmōdad, et Sāleph, et Asarmōth, Jāre, [27]et Adūrām, et Ūzāl, et Declā, [28]et Ēbāl, et Abīmaël, Sabā, [29]et Ōphir, et Hevīla, et Jōbāb: omnēs istī, fīliī Jēctān. [30]Et facta est habitātiō eōrum dē Mēssā pergentibus ūsque Sēphār montem orientālem.

[31]Istī fīliī Sēm secundum cognātiōnēs, et linguās, et regiōnēs in gentibus suīs. [32] Hæ familiæ Noë juxtā populōs et nātiōnēs suās. Ab hīs dīvīsæ sunt gentēs in terrā post dīluvium.

Generatiōnēs filiōrum Noë

EPISTOLA CATHOLICA
B. IVDÆ APOSTOLI



Sānctus Iūdās Thāddæus

Salutātiō epistolāris

1 [1]Jūdās Jēsū Chrīstī servus, frāter autem Jācōbī, hīs quī sunt in Deō Patre dīlēctīs, et Chrīstō Jēsū cōnservātīs, et vōcātīs. [2]Misericōrdia vōbīs, et pāx, et cāritās adimpleātur.

adimplērī = complērī

Occāsiō epistolae: dē falsīs doctōribus

[3]Cārissimī, omnem sollicitūdinem faciēns scrībendī vōbīs dē communī vestrā salūte, necesse habuī scrībere vōbīs: dēprecāns supercertārī semel trāditæ sānctīs fideī.

faciēns omnem sollicitūdinem scrībendī vōbīs = cupiēns scrībendī vōbīs

dēprecārī = vehementer petere aliquid ab aliquō

supercertārī + *gen.* = certāre *prō aliquā rē*

[4]Subintroiērunt enim quīdam hominēs (quī ōlim præscrīptī sunt in hoc jūdicium) impiī, Deī nostrī gratiam trānsferentēs in luxuriam, et solum Dominātōrem, et Dominum nostrum Jēsum Chrīstum negantēs.

Hōs Deus perdet

[5]Commonēre autem vōs volō, scientēs semel omnia, quoniam Jēsus populum dē terrā Ægyptī salvāns, secundō eōs, quī nōn crēdidērunt, perdidit: [6]angelōs vērō, quī nōn servāvērunt suum prīncipātum, sed dērelīquērunt suum domicilium, in jūdicium magnī diēī, vinculīs æternīs sub cālīgine reservāvit.

[7]Sīcut Sodoma, et Gomorrha, et fīnitimæ cīvitātēs similī modō exfornicātæ, et abeuntēs post carnem alteram, factæ sunt exemplum, īgnis æternī pœnam sustinentēs. [8]Similiter et hī carnem quidem maculant, dominatiōnem autem spernunt, mājestātem autem blasphēmant.

[9]Quum Michaēl Archangelus cum diabolō disputāns altercārētur dē Moysī corpore, nōn est ausus jūdicium īnferre blasphēmiæ sed dīxit: *"Imperet tibi Dominus."*

[10]Hī autem quæcumque quidem īgnōrant, blasphēmant: quæcumque autem nātūrāliter, tamquam mūta animālia, nōrunt, in hīs corrumpuntur. [11]Væ illīs! Quia in viā Caīn abiērunt, et errōre Balaām mercēde effūsī sunt, et in contrādictiōne Core periērunt!

commonēre = monēre

Jēsus hōc locō Græcē legitur *Κύριος* S. Jerōnimus dīcit fortasse dē Jōsuē patriarchā agātur.

secundō *adv.* = deinde

Sodomæ et Gommorrhæ exitium

exfornicāre = valde et sæpe fornicāre

Deī dominatiōnem spernunt
Deī mājestātem blasphēmant

blasphēmāre (Gr. βλασφημεῖν) = alterīus fāmam dīctīs lædere

quum = cum *adverbium temporis*

altercārī = ācriter disputāre

nōrunt = nōvērunt

abiērunt = ambulavērunt

Eōrum corruptī mōrēs

[12]Hī sunt in epulīs suīs maculæ, convīvantēs sine timōre, sēmetipsōs pāscentēs, nūbēs sine aquā, quæ ā ventīs circumferentur, arborēs autumnālēs īnfructūōsæ, bis mortuæ, ērādīcātæ, [13]fluctūs ferī maris, dēspumantēs suās cōnfūsiōnēs, sīdera errantia: quibus procella tenebrārum servāta est in æternum.

[14]Prophētāvit autem et dē hīs septimus ab Ādām Enōch, dīcēns: "*Ecce vēnit Dominus in sānctīs mīllibus suīs* [15]*facere jūdicium contrā omnēs, et arguere omnēs impiōs dē omnibus operibus impietātis eōrum, quibus impiē ēgērunt, et dē omnibus durīs, quæ locūtī sunt contrā Deum peccātōres impiī.*" [16]Hī sunt murmurātōrēs querulōsī, secundum dēsīderia sua ambulantēs, et ōs eōrum loquitur superba, mīrantēs persōnās quæstūs causā. [17]Vōs autem, cārissimī, memorēs estōte verbōrum, quæ prædicta sunt ab apostolīs Dominī nostrī Jēsū Chrīstī, [18]quī dīcēbant vōbīs, quoniam in novissimō tempore venient illūsōrēs, secundum dēsidēria sua ambulantēs in impietātibus. [19]Hī sunt quī sēgregant sēmetipsōs, animāles Spīritum nōn habentēs.



arborēs autumnālēs īnfructuōsae

fluctūs ferī maris dēspumantēs

Enōch prohēta, quī cum Deō ambulābat

querulōsus < querī

quaestus ūs (< quaerēre) = lucrum

illūsor < illūdere

animālis e *adj.* < animal ais
Apud Scrīptōrēs Ecclēsiasticōs pōnitur prō homine quī sēnsuum tantummodo voluptāte dēlēctātur.

Fidēlēs in fide persistant

[20]Vōs autem cārissimī superædificantēs vōsmetipsōs sānctissimæ vestræ fideī, in Spīritū Sānctō ōrantēs, [21]vōsmetipsōs in dīlēctiōne Deī servāte, exspectantēs misericordiam Dominī nostrī Jēsū Chrīstī in vītam æternam. [22]Et hōs quidem arguite jūdicātōs.

vōsmetipsōs superaedificāte fideī = vōsmetipsōs super fundāmenta fideī aedificāte

hōs arguite jūdicātōs = hōs reprehendite quia iam iūdicātī sunt

[23]Illōs vērō salvāte, dē īgne rapientēs. Aliīs autem miserēminī in timōre: ōdientēs et eam, quæ carnālis est, maculātam tunicam.

dē igne *illōs* rapientēs

ōdientēs et *eam maculātam tunicam*

[24]Eī autem quī potēns est vōs cōnservāre sine peccātō et cōnstituere ante cōnspectum glōriæ suæ immaculātōs in exsultātiōne in adventū Dominī nostrī Jēsū Chrīstī, [25]sōlī Deō Salvātōrī nostrō, per Jēsum Chrīstum Dominum nostrum, glōria et māgnificentia, imperium et potestās ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculōrum. Amēn.

Eī (dat.): ...sōlī Deō Salvātōrī nostrō... glōria et magnificentia... sit.

Amen = *Hebr.* אָמֵן *Gr.* ἀμὴν significāns certē. *Gr.* ἀληθῶς

DE ORTV B. MARIÆ VIRGINIS

Ex Pseudō Matthæī Evangeliō
Nōnnūllīs mūtātīs et prætermissīs

Sāncta Anna et Sānctus Jōachim
XVII Sæculō Albā Ruhteniā

In diēbus illīs erat vir in Jerusalem nōmine Jōachim ex tribū Jūdā. Et hic erat pastor ovium suārum, timēns Deum in simplicitāte et in bonitāte suā, cui cūra nūlla erat alia nisi gregum suōrum, dē quōrum fructū alēbat omnēs timentēs Deum, duplicia offerēns mūnera in timōre Deī et doctrinā laborantibus, et simplicia offerēns hīs quī ministrābant eīs.

mūnera duplicia offerēns ad eos quī in timōre Deī laborabant

mūnera simplicia offerēns ad eōs quī illīs ministrābant

Hæc autem illō faciente multiplicābat Deus gregēs suōs ita ut nōn esset similis illī in populō Israēl.

Cum esset annōrum vīgintī, accēpit Annam fīliam Ysāchār uxōrem ex tribū suā, id est, ex genere David. Cumque mōrātus esset cum eā per annōs vīgintī, fīliōs aut fīliās ex eā nōn accēpit.

Factum est autem ut in diēbus fēstīs, inter eōs quī offerēbant incēnsum Dominō, stāret Jōachim, parāns mūnera sua in cōnspectū Dominī. Et accēdēns ad eum scrība templī nōmine Rūbe, ait: «Nōn tibi licet inter

sacrificia Deī agentēs cōnsistere, quia nōn tē benedīxit Deus ut daret tibi germen in Israēl.»

Passus ita verēcundiā in cōnspectū populī, abscessit dē templō Dominī plōrāns et nōn est revērsus in domum suam, sed abiit ad pecora sua et dūxit sēcum pastōrēs inter montēs in longinquam terram, ita ut per quīnque mensēs nūllum nūntium potuisset audīre dē eō Anna uxor ejus.

verēcundia = pudor

Annuntiātiō Sānctæ Annæ

Quæ dum flēret in ōrātiōne suā et dīceret: «Domine Deus Israēl fortissime, jam quia fīliōs nōn dedistī mihi, virum et meum quārē tulistī ā mē? Ecce enim quīnque mēnsēs trānseunt et virum meum nōn videō. Et nesciō utrum mortuus sit, ut vel sepultūram illī fecissem.»

ut vel = ut saltem

Et dum nimis flēret in viridāriō domūs suæ, in ōrātiōne ēlevāns oculōs suōs ad Dominum, vīdit nīdum passerum in arbore laurī, et ēmīsit vōcem cum gemitū ad Dominum dīcēns: «Domine Deus omnipotēns, quī omnī creatūræ dōnāstī fīliōs, et bēstiīs et jūmentīs et serpentibus et piscibus et volucribus, et omnēs super fīliōs gaudent, mē sōlam ā benīgnitātis

viridārium = hortus

nīdus passerum

dōnāstī = dōnāvistī

tuæ dōnō exclūdis? Tū nōstī, Domine, ab initiō conjugiī mē hoc vōvisse, ut sī dedissēs mihi fīlium aut fīliam, obtulissem illum tibi in templō sanctō tuō.»

nōstī = nōvistī

Et dum ista dīceret, subitō ante faciem ejus apparuit angelus Dominī dīcēns: «Nōlī timēre, Anna, quoniam in cōnsiliō Deī est germen tuum; et quod ex tē nātum fuerit, erit in admīrātiōnem omnibus sæculīs ūsque in fīnem.» Et cum hæc dīxisset, ab oculīs ejus ēlāpsus est.

in cōnsiliō Deī est germen tuum = Deus tē fīlium habitūram dēcrēvit

Illa autem tremēns et pavēns, quod vīdisset tālem vīsiōnem et tālem audīsset sermōnem, ingressa in cubiculum jactāvit sē in lectō quasi mortua, et tōtā nocte in tremōre nimiō ac ōrātiōne permānsit.

audīsset = audīvisset

Sāncta Anna in ōrātiōne
XVII Sæculo Albā Rutheniā

Annuntiātiō Sānctī Jōachim
Bartolus Fredi sæculō XIV dēpinxit

Annuntiātiō Sānctī Jōachim

In ipsō tempore apparuit quīdam juvenis inter montēs, ubi Jōachim pāscēbat gregēs, et dīxit eī: «Quārē nōn reverteris ad uxōrem tuam?» Et dīxit Jōachim: «Per vīgintī annōs habuī eam; nunc vērō quia nōluit Deus mihi ex eā dare fīliōs, cum verecundiā dē templō Deī exprobātus exīvī. Ut quid revertar ad eam, semel abiēctus atque dēspectus? Hīc ergō cum ovibus meīs erō, quamdiū hujus sæculī Deus mihi lūcem concedere voluerit; per manūs autem puerōrum meōrum pauperibus et viduīs et orphanīs et colentibus Deum partēs suās libenter restituam.»

Et cum hæc dīxisset, respondit eī juvenis: «Angelus Deī ego sum, quī apparuī hodiē uxōrī tuæ flentī et

exprobāre = vituperāre

ut quid? = cūr?

dēspectus < despicere

hujus sæculī lūcem = vītam

puerōrum = servōrum

partēs suās restituam
= faciam eīs misericordiam

ōrantī, et cōnsolātus sum eam, quam sciās ex sēmine tuō concēpisse fīliam. Hæc in templō Deī erit et Spīritus Sānctus recquiēscet in eā; et erit beātitūdō ejus super omnēs sānctās fēminās, ita ut nūllus possit dīcere quia fuit tālis ante eam, sed post eam numquam erit eī similis ventūra in hoc sæculō. Et sēmen ejus erit benedictum, et ipsa erit benedicta et māter benedictiōnis æternæ cōnstituerētur.»

Tunc Jōachim cecīdit in faciem, et ab hōrā diēī sextā ūsque ad vesperam jacuit. Venientēs autem puerī ejus et mercenāriī, nescientēs quid causæ esset, expāvērunt, putantēs quod sē ipse vellet interficere, et accessērunt ad eum et vix eum ēlēvavērunt dē terrā.

Quibus cum ēnārrāsset quid vīdisset, stupōre nimiō et admiratiōne impulsī hortābantur eum ut sine mōrā jussum angelī perficeret atque vēlōciter ad suam conjugem remeāret.

Cum trīgintā diēs ambulārent Jōachim cum pastōribus et essent jam prope, apparuit Annæ in ōrātiōne stantī angelus Dominī dīcēns eī: «Vāde ad portam quae aurea vocātur et occurre virō tuō, quoniam veniet ad te hodiē.» At illa festīnanter perrēxit

mercenārius = agricōla quī alienō agrō prō mercēde colit

ēnārrāsset = ēnārrāvisset

remeāre = redīre

cum puellīs = cum ancillīs

cum puellīs suīs, et cœpit in ipsā portā stāns ōrāre. Et cum diūtius exspectāret et longā exspectātiōne dēficeret, ēlevāns oculōs suōs vīdit Jōachim venientem cum pecoribus suīs, occurrēnsque Anna suspendit sē in collō ejus, gratiās agēns Deō et dīcēns: «Vidua eram, et ecce jam nōn sum; sterilis eram, et ecce jam concēpī.»

longā exspectātiōne dēficeret
= fessa ob longam exspectātiōnem

Et factum est gaudium magnum vīcīnīs omnibus et nōtīs ejus, ita ut ūniversa terrra Israēl dē istā fāmā grātularētur.

Ortus Beātæ Marīæ Salvātōris māter
Ex Speculō Humānæ Salvātiōnis
Sæculō XIV

Dē ortū Beātæ Marīæ Virginis

Post hæc autem, explētīs mēnsibus novem, peperit Anna fīliam et vocāvit nōmen ejus Marīam.

SANCTI AVGVSTINI CONFESSIONES

Ex librō I

Alexander Botticelli dēpīnxit

Quærentēs invēniunt

1 *Magnus es, domine, et laudābilis valdē. Magna virtūs tua, et sapientiæ tuæ nōn est numerus.* Et laudāre tē vult homō, aliqua portiō creātūræ tuæ? Et homō, circumferēns mortālitātem suam, circumferēns testimōnium peccātī suī et testimōnium quia *superbīs resistis?* Et tamen, laudāre tē vult homō, aliqua portiō creātūræ tuæ.

Ps CXLIV 3 et Ps. CXLVI 5

circumferēns mortalitātem = mortalitāte indūtus

I Pe V 5
resistere + dat.

Tū excitās ut laudāre tē dēlectet, quia fēcistī nōs ad tē et inquiētum est cor nostrum dōnec requiēscat in tē.

ut laudāret tē *nōs* dēlectet

Dā mihi, Domine, scīre et intellegere utrum sit prius invocāre tē an laudāre tē? Et scīre tē, prius sit, an invocāre tē? Sed quis tē invocat nesciēns te? Aliud enim prō aliō potest invocāre nesciēns. An potius invocāris ut sciāris? *Quōmodo autem invocābunt, in quem nōn crēdidērunt? Aut quōmodo crēdent sine prædicante?*

utrum sit prius scīre tē an invocāre tē?

Rom X 14

Et laudābunt Dominum quī requīrunt eum. Quærentēs

Ps XXI 27

requīrere < re quærere

enim invēniunt eum et invenientēs laudābunt eum.

Quæram tē, Domine, invocāns tē et invocem tē crēdēns in tē: prædicātus enim es nōbīs.

nōbīs = mihi

Invocat tē, Domine, fidēs mea, quam dedistī mihi, quam īnspīrāstī mihi per humanitātem Fīliī tuī, per ministerium prædicātōris tuī.

īnspīrāstī = īnspīrāvistī

prædicātor = S. Ambrosius

Nōn essem nisī esses in mē

2 Et quōmodo invocābō Deum meum, Deum et Dominum meum? Quoniam, utique, in mē ipsum eum vocābō, cum invocābō eum. Et quis locus est in mē quō veniat in mē Deus meus? Quō Deus veniat in mē, Deus *quī fēcit cælum et terram?*

utique = sānē

Gen I 1

Deus meus *vocātīvus*

Itane, Domine Deus meus, est quicquam in mē quod capiat tē? An vērō cælum et terra, quæ fēcistī et in quibus mē fēcistī, capiunt te? An quia sine tē nōn esset quidquid est, fit ut quidquid est capiat tē?

quicquam = quidquam

Quoniam itaque et ego sum, quid petō ut veniās in mē, quī nōn essem nisi esses in mē?

Nōn enim ego jam in īnferīs sum, et tamen etiam ibi es, *nam etsī dēscenderō in īnfernum, adēs.*

Ps CXXXVIII 8

Nōn ergō essem, Deus meus, nōn omnīnō essem, nisī esses in mē. An potius: nōn essem nisī essem in tē, *ex*

Rom XI 36

quō omnia, per quem omnia, in quō omnia.

Etiam sīc, Domine, etiam sīc! Quō tē invocō, cum in tē sim? Aut unde veniās in mē? Quō enim recēdam extrā cælum et terram, ut inde in mē veniat Deus meus, quī dīxit: *cælum et terram ego impleō?*

Jer XXIII 24

Continendō implēs

tē = Deum

3 Capiunt ergōne tē cælum et terra, quoniam tū implēs ea? An implēs et restat, quoniam nōn tē capiunt?

Et quō refundis quidquid, impletō cælō et terrā, restat ex tē?

quōquam = in aliquō locō

An nōn opus habēs ut quōquam contineāris, quī continēs omnia, quoniam quæ implēs continendō implēs?

Nōn enim vasa, quæ tē plena sunt, stabilem tē faciunt, quia, etsī frangantur, nōn effunderis. Et cum *effunderis super nōs*, nōn tū jacēs sed ērigis nōs, nec tū dissipāris sed colligis nōs.

Act II 17

Sed omnia quæ implēs, ea omnia tē tōtō implēs

Sed quæ implēs omnia, tē tōtō implēs omnia? An quia nōn possunt tē tōtum capere omnia, partem tuī capiunt et eandem partem simul omnia capiunt?

An singulās singula et majōrēs majōra, minōrēs minōra capiunt?

Ergō est aliqua pars tua major, aliqua minor? An ubīque tōtus es et rēs nulla tē tōtum capit?

Quid es, Deus meus?

rogō = interrogō

4 Quid es ergō, Deus meus? Quid, rogō, nisī Dominus Deus? *Quis* enim *Dominus præter Dominum? Aut quis Deus præter Deum nostrum?*

Ps XVII 32

Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime et jūstissime, sēcrētissime et præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis, immūtābilis mūtāns omnia; numquam novus, numquam vetus, innovāns omnia et in vetustātem perdūcēns superbōs... et nesciunt.

et nesciunt *superbī.*

Semper agēns, semper quiētus, colligēns et nōn ēgēns, portāns et implēns et prōtegēns, creāns et nūtriēns et perficiēns; quærēns cum nihil dēsit tibi.

æstuāre = amōre flagrāre
zelāre = ζελῶ quī zelat alium ab amātō suō amārī nōn patiātur.

Amās nec æstuās, zelās et sēcūrus es, pænitet tē et nōn dolēs, īrāsceris et tranquillus es, opera mūtās nec mūtās cōnsilium; recipis quod invenīs et numquam āmīsistī; numquam inops et gaudēs lucrīs, *numquam avārus et ūsūrās exigis.*

Mt XXV 27

Superērogātur tibi ut debeās: et quis habet quicquam nōn tuum? Reddis dēbita nūllī dēbēns, donās dēbita

superērogāre = ērogāre suprā id quod dēbētur

dēbita reddere = dēbita solvere
dēbita donāre = dēbita condonāre

nihil perdēns.

Et quid dīxīmus, Deus meus, vīta mea, dulcēdō mea sāncta, aut quid dīcit aliquis cum dē tē dīcit?

Et væ tacentibus dē tē! Quoniam loquācēs mutī sunt.

tacentēs dē tē = *gnosticī et manichæi*

Moriar, ne moriar

5 Quis mihi dabit acquiēscere in tē? Quis dabit mihi ut veniās in cor meum et inēbriēs illud, ut oblīvīscar mala mea et, ūnum bonum meum, amplectar tē?

Quid mihi es? Miserēre ut loquar. Quid tibi sum ipse, ut amārī tē jubeās ā mē et, nisī faciam, īrāscāris mihi et minēris ingentēs miseriās?

miserēre *meī*

Parvane ipsa est sī nōn amem tē? Hei mihi! Dīc mihi per miseratiōnēs tuās, Domine Deus meus, quid sīs mihi. *Dīc animæ meæ: «Salūs tua ego sum.»* Sīc dīc ut audiam. Ecce aurēs cordis meī ante tē, Domine. Aperī eās et *dīc animæ meæ: «Salūs tua ego sum.»* Curram post vōcem hanc et apprehendam tē. Nōlī abscondere ā mē faciem tuam. Moriar, ne moriar, ut eam videam.

ipsa *miseria* hei! = væ!

Ps XXXIV 3

Nōn poteris vidēre faciem meam: nōn enim vidēbit mē homō et vivet. *Ex XXXIII 20*

Ab ocultīs meīs mundā mē!

Angusta est domus animæ meæ quō veniās ad eam: dīlātētur abs tē. Ruīnōsa est: refice eam. Habet quæ offendant oculōs tuōs: fateor et sciō. Sed quis mundābit

eam? Aut cui alterī præter tē clamabō: *ab occultīs meīs mundā mē, Domine, et ab aliēnīs parce servō tuō?*

ab *peccātīs* occultīs

mundāre = tergēre, mundum facere

Ps XVIII 13

Credō, propter quod et loquor, Domine, tū scīs. Nōnne *tibi prōlocūtus sum adversum mē delicta mea*, Deus meus, *et tū dīmīsistī impietātem cordis meī?*

Ps CXV 1

prōloqui = loquī quod in animō habēmus, cōnfitērī

Ps XXXI 14

Nōn jūdiciō contendō tēcum, quī vēritās es, et ego nōlō fallere mē ipsum, *ne mentiātur inīquitās mea sibi.* Nōn ergō judīciō contendō tēcum, quia, *sī inīquitātēs observāveris, Domine... Domine, quis sustinēbit?*

Ps XXVI 12

Ps CXXIX 3

S. BERNARDI CLARÆVALLENSIS

Ex librō dē Dīligendō Deum

Sānctus Bernardus Clārævallensis

Vultis ergō ā mē audīre, quārē et quō modō dīligendus sit Deus? Et ego: causa dīligendī Deum, Deus est. Modus? Sine modō dīligere.

modus = mēnsura, quāntitās

Estne hoc satis? Fortassis utique, sed sapientī. Cæterum sī *et īnsipientibus dēbitor sum*; ubi sat est dīctum sapientī, etiam illīs gerendus mōs est.

utique = ita est
hominī sapienti

Rom. I 14 sat = satis

mihi gerendus mōs est = *necesse mihi est īnsipientēs docēre*

Itaque propter tardiōrēs, idem profūsius quam profundius, repetere nōn gravābor.

gravārī = cum fastidiō agere

Ob duplicem ergō causam Deum dīxerim propter sē ipsum dīligendum: sīve quia nihil jūstius, sīve quia nil frūctuōsius dīligī potest.

nil = nihil

Duplicem sīquidem parit sēnsum, quum quæritur dē Deō cūr dīligendus sit: dubitārī namque potest quid potissimum dubitētur. Utrumnam, quō suō meritō Deus, aut certē quō nostrō sit commodō dīligendus.

sīquidem = certē quum = cum (coni.)

potissimum = præcipue
utrum-nam

respondendum est utrum suō meritō dīligendus sit Deus aut utrum nostrō commodō dīligendus sit Deus

Sānē ad utrumque idem responderim: nōn plānē aliam mihi dīgnam occurrere causam dīligendī ipsum, præter ipsum.

Et prius dē meritō videāmus: multum quippe

meruit dē nōbīs, quī et immeritīs dedit sē ipsum nōbīs. Quid enim melius sē ipsō poterat dare vel ipse?

immeritīs nōbīs

quippe = sānē

sē ipsō *abl. comparātiōnis*

Ergō sī Deī meritum quæritur, quum ipsum dīligendī causā quæritur, illud est præcipuum: quia *ipse prior dīlēxit nōs*.

I Jo. IV 10

Dīgnus plānē quī redamētur, præsertim sī advertātur quis, quōs quantumque amāverit.

redamāre (retrō amāre) = in amōre respondēre

Quis enim? Nōnne is cui omnis spīritus confitētur: *Deus meus es tū, quoniam bonōrum meōrum nōn egēs?*

Psal. XV 2

Et vēra hujus chāritās mājestātis, quippe nōn quærentis quæ sua sunt. Quibus autem tanta pūritās exhibētur? *Quum adhūc*, inquit, *inimicī essēmus, reconciliātī sumus Deō.*

Rom. V 10

Dīlexit ergō Deus et grātīs et inimicōs. Sed quantum? Quantum dīcit Joannēs: *Sīc Deus dīlexit mundum, ut Fīlium ūnigenitum daret;* et Paulus: *Quī propriō*, ait, *Fīliō nōn pepercit, sed prō nōbīs trādidit illum.* Ipse quōque Fīlius prō sē: *Majōrem,* inquit, *chāritātem nēmō habet quam ut animam suam pōnat quis prō amīcīs suīs*.

grātīs = gratiīs, sine mercēde

Joan. III 16

Rom. VIII 32

Joan. XV 13

Ex librō dē Laude Novæ Mīlitiæ

Novum mīlitiæ genus ortum nūper audītur in terrīs, et in illā regiōne, quam ōlim in carne præsēns vīsitāvit Oriēns ex altō: ut unde tunc in fortitūdine manūs suæ tenebrārum prīncipēs exturbāvit, inde et modo ipsōrum satellitēs, fīliōs diffīdentiæ, in manū fortium suōrum dissipātōs exterminet, faciēns etiam nunc redemptiōnem plēbis suæ et rūrsum ērigēns cornū salūtis nōbīs in domō David puerī suī.

manūs suæ *gen.*

ut... *haec mīlitia* ...exterminet

rūrsum = rūrsus

. . .

Sēcūrī igitur procēdite, mīlitēs, et intrepidō animō inimīcōs crucis Chrīstī prōpellite, certī quia neque mors, neque vita potuērunt vōs separāre ā chāritāte Deī, quæ est in Chrīstō Jēsū; illud sānē vōbīscum in omnī periculō replicantēs: *Sive vīvimus, sive morimur, Dominī sumus.*



Fōrma Hierosolymōrum Sæculō XII

Rom. XIV 8

Quam glōriōsī revertuntur victōrēs dē prœliō! Quam beātī moriuntur martyrēs in prœliō!

Gaudē, fortis athlēta, sī vīvis et vīncis in Dominō! Sed magis exsultā et glōriāre, sī moreris et jungeris Dominō!

Vīta quidem fructuōsa, et victōria glōriōsa: sed utrīque, mors sacra jūrē præpōnitur. Nam sī beātī quī in Dominō moriuntur, num multō magis quī prō Dominō moriuntur?

Ad Ermengardem Britanniæ

Dīlectæ in Chrīstō fīliæ suæ Ermengardī, quondam eximiæ comitissæ, nunc humilī Chrīstī ancillæ, Bernardus, abbās Clāræ vallis: pium sānctæ dīlēctiōnis affectum.

Bernardus pium.. affectum... *mittit.*

Utinam sīcut chartam nunc præsentem, ita et meam tibi mentem expandere possem! Ō sī legere possēs in corde meō, quod ibi dē amōre tuō suō digitō Deus scrībere dīgnātus est! Certe āgnōsceres quam nūlla lingua vel penna sufficiat exprimere, quod in intimīs mihi medullīs Deī spīritus imprimere potuit.

Ermengarda Comitissa Britanniæ

Et nunc quidem præsens sum spīritū, licet corpore absēns; sed nec mihi, nec tibi est unde appaream. Est tamen pēnes tē, unde possīs dē mē utcumque conicere, etsī nōndum cōgnōscere, quod dīcō: intrā ergō cor tuum et īnspice meum, et vel tantum mihi tribue amōris ergā tē, quantum tibi ergā mē inesse

pēnes = apud
utcumque = quōcumque modō

conicere = res plūrēs in ūnum jacere

intrā *in* cor tuum

sentīs, nē sī nōs quidem minus, tē vērō amplius amāre præsūmpseris, eō tē nōbīs præferre putēris, quō et vincere nōs cāritāte putāveris.

putāveris *tē nōs (=mē) caritāte vincere*

Cēterum tuæ modestiæ est, id potius sentīre dē nōbīs, ut quī tē affēcit ita mē dīligere et ēlīgere ad cōnsilium tuæ salūtis, æquē affēcerit et mē in obsequium tuæ dīlēctiōnis.

dē nōbīs = dē mē

afficere < ad facere = movēre ut°uut *quī* affēcit tē mē ita dīlīgere (i.e. *Deus)*

obsequiuum = obēdientia et fideī officium

Tū ergō vidēris quōmodo mē tēcum retinueris. Ego, ut vērum fatear, nusquam abs tē absque tē recēdō.

Hæc tibi interim dē viā breviter in trānsitū scrībere voluī, sperāns mē mājōrī ōtiō mājōra missūrum, sī Deus annuerit.